

Heinrich Dringenberg

**Programma Quo Ad Resurgentis Triumphantisq[ue] Christi Solennia pie
devoteq[ue] obeunda, Omnium ordinum Cives Academici serio studioseque
invitantur; propositum**

Rostochi[j]: Kilius, 1665

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn735641307>

Druck Freier  Zugang



27.

PROGRAMMA

Quo
Ad

RESURGENTIS
TRIUMPHANTISq;
CHRISTI


Solennia pie devoteq;
obeunda,

Omnium ordinum CIVES ACADE-
MICI serio studioseque invitantur;
propositum.

Universitatis Rectore

HINRICO DRINGENBERGIO,

Phil. Moral. Professore ac Faculta-
tis suæ hodiè DECANO,



ROSTOCHI,

Typis JOHANNIS KILII, Acad. Typogr.

Anno clc lvc LXV.

1665

R. U. - Progr. 1665/a



Rande profectò, atque imper-
scrutabile, CARNIS RESUR-
RECTIO, mysterium est, quod
ridetur paganis, impugnatur
hæreticis, solis creditur & spe-
ratur Christianis. Atque id me-
ritò; cùm solis his etiam cognita
sit veritas; quam illi & ignora-
runt infeliciter, & persecuti fu-
riosè sunt; quando nulli patescere hominum, nisi De-
us revelârit, possit; quo solo Magistro Christiana Philo-
sophia instruitur. Immortales esse animas, id verò
Pythagora, aliisque sapientibus Græcis creditum abun-
dè est; sed recuperaturas corpora, in quibus hospitata
antea fuerant; somnio vanius esse existimaverunt.
CHRISTIANORUM autem FIDUCIA est RESURRE-
CTIO MORTUORUM; uti *Tertullianus*, Latinorum
Patrum primus, eximius planè, antè quàm in *Montani*
sivè hæresin, sivè deliria prolaberetur, Ecclesiæ
Doctor, sub ipsum statim initium eo habet libro,
quem de *Resurrectione carnis* consignatum reliquit. Sa-
nè enim ni functorum aliqua tandem foret restitutio,
quæ beatiorem melioremque, quàm hodierna sit, aut
esse

187

esse possit unquam, vitam polliceretur, homine Christiano nihil vel excogitari quiret infelicius; frustra etiam crederetur esse vitæ ad legis divinæ normam conformatio, quin in sinceræ fidei confessione Martyrum admirabilis illa constantia; cruciatuum & tormentorum, & crudelium suppliciorum tolerantia; vana itidem esset in CHRISTO ejusque morte ac merito omnis fiducia. Ex re itaque & vero Apostolus 1. Cor. XV, 19. *Si in hac solùm vitâ in Christum speramus, miserissimi sumus mortalium.* Et S. Epiphanius in Ancorat. num. XCI. *In hac (carnis nostræ resurrectione) omnis thesaurus, & sana mentis firmamentum, ac boni omnis officii spes est collocata.* Gemina his S. Cyrillus, Hierosolym. Archiepiscopus, cateches. τῶν φωτισομένων XIX. initio: ἡ ζῆα τῆς ἀποθανοῦς ἢ τῆς ἀναστάσεως ἐλπίς &c. *Radix bonæ operationis est spes resurrectionis: enim verò expectatio retributionis incitat mentem ad bonum operandum, promptior quæ fit omnis operatio ad perficiendos labores, si præmia laborum præviderit. Qui verò sine præmio laborant, iis & anima & corpus concidunt.* Hinc JOBUS cùm ærumnis atque calamitatibus, tanquam vallo quodam circummuniretur, nullâ re aliâ, quàm certæ resurrectionis spe & fide sese elevat, confessionemque posteritati relinquit hisce obsignatam verbis: *Confecti sunt (præ nimio sc. desiderio) in sinu meo renes mei.* Ceterum ista Christianorum fiducia, id spei fundamentum, hoc religionis Christianæ mysterium, dæmonis versutiâ, Hæreticorumque

ab eo Patre factorum, malitiâ, nimirè infestatum
semper fuit. *Contradicunt Græci; non credunt Samari-
tae elevari Hæretici;* est apud Cyrill. loco jamjam citat. E-
nimverò non tantùm Gentiles extra Ecclesiam (quod
initio statim dicebamus) & apud Judæos Saducæi (quos
in omnibus ferè secuti Samaritani: undè fit, uti multi
hos cum illis misceant) sed etiam in ipsâ Ecclesiâ Chri-
stianâ plurimi variis resurrectionem functorum modis
oppugnaverunt. *Hymeneo & Phileto* resurrectio jam
facta esse credebatur II. Tim. II, 18. propriam neganti-
bus, & figuratam solùm, quæ in pœnitentiâ & conver-
sione ad DEUM consistat, & *prima* ceteroquin appelli-
tari in sacris siveverit, concedentibus. In Corinthiacâ
quoque Ecclesiâ jam Pauli tempore reperire fuit, qui
dicerent, *non esse futuram mortuorum resurrectionem,*
contra quos ex professo agit disputatque, I. Cor. XV,
12. seqq. Hos alii magno numero insecuti sunt, ita uti
in primitivâ Ecclesiâ vix Hæreticos invenias, qui non,
dùm in pluribus aliis laborarent, in hunc quoque fidei
principem articulum, tanquam offensionis lapidem,
impingerent; veluti expressè nominare est Simonia-
nos, Basilidianos, Carpocratianos, Gnosticos, Valenti-
nianos, magnoq; numero alios; quorum omnium cata-
logum texere nimis longum profectò foret. Videriq;
possunt Irenæus adversus hæreses; Tertullianus de præ-
scriptionibus; Epiphanius panario; Augustinus ad
Quodvult d, Philastrius Brix. Joan. Damascenus de hæ-
resi-

189

resibus; Theodoretus de Hæret. fab. Harmenopulus
de sectis, & alii. Quidnam Avorum memoriâ circa
præsens negocium delirârint, quàmque monstrosas in
Ecclesiam sententias ex orco quasi reducerint Ana-
baptistæ, Syvenckfeldiani, Weigeliani, & Photiniani,
id verò notius est, quàm ut memorari indigeat. Cæte-
rùm & hi & quos supra nominabamus omnes singuliq;
propinqui Sadduceorum, & Sadducei Christianorum, uti
Tertulliano appositè appellantur, responsum ferant,
quale olim haud injuriâ majores ipsorum tulerunt:
πλανᾶσθε μὴ εἰδότες τὴν δυνάμιν Ἰησοῦ, μηδὲ τὰς γραφάς Matth.
XXII, 29. Erratis, neq; scientes potentiam DEI, per
quam fiunt scilic. quæ alioqui nullâ potentiâ fieri pos-
sent; *neq; Scripturas*, quibus nimirum Deus fallere nesci-
us resurrectionem prædixit & præmisit. Ipse, qui ita
Sadducæis reposuerat, *adversum* eosdem ex verbis
DEI ad Mosen factis, *mysterium* probat & demonstrat,
ubi ad objectionem & argumentum ab absurdo de-
sumptum, his respondet verbis: *Filii hujus seculi ducunt*
uxores, & nuptum dantur; qui verò digni habitifuerint, qui
seculum illud consequantur, & resurrectionem ex mortuis,
neq; ducunt uxores, neq; nuptum dantur. Hæc ad obje-
ctionem Adversariorum DOMINUS, Arg. pro resur-
rectione his subjungit verbis: De resurrectione non
legistis, quod vobis dictum est à DEO dicente: Ego
sum DEUS Abraham, DEUS Isaac, & DEUS Jacob. DE-
US autem non est DEUS mortuorum, sed viventium.

Cujus argumenti vim & *δεδείχθη*; quum jam alii dudum, egregie monstrarint, clarissimeque deduxerint, nos quidem operæ parcimus, saltemq; id inuimus, locum à Domino Matth. XXII. Marc. XII. & Luc. XX. allegatum, extare in Exod. III, 6. quem ipsum Manasseh ben Israël suo de Resurrectione mortuorum lib. ubi ex XXIV. V. T. locis, ut ait lib. I. cap. 3. in fine, eam ostendit, non adduxit, sed consultò (fortè quòd nimio in Messiam odio teneretur) omisit. Luculentum & insigne præter ea id quoque est testimonium, quod apud Dan. III, 2. visitur. *Multi qui dormiunt in terra pulvere, evigilabunt, hi in vitam æternam; illi verò ad opprobrium & contemtum æternum.* Nam verba hæc non loqui de liberatione ex temporali aliquo periculo aut infelicitate, docet ipse Magister Christus Joh. V, v. 28, 29: ubi paullulum immutato sermone ait: *Venit hora, in quâ omnes* (hæc particula explicat tò *Multi*, quod est apud Danièlem; ostenditque non ad prædicati illud distributionem, sed subjecti determinationem referendum,) *qui in monumentis sunt, audient vocem Filii hominis; & procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt, in resurrectionem judicii.* Hæc enim Christi verba, iis, quæ apud Dan. leguntur, gemina esse, ipsi etiam Augustino lib. XX. de Civit. Dei, cap. XXIII. egregie monitum observatumque est. Porro non minus manifesta & illustria verba illa JOBI sunt, quæ de mortali hac vitâ, & in feliciorum statum restitutione prope-
modum

191
modum desperabundus protulit cap. XIX, & exverfi-
one Joan. Coccei, quæ ad Ebræam veritatem maximè
nobis quidem accedere videtur, ita habent: *Sanè ego
novi, quòd vindex meus vivit, & postremus super pulverem
stabit. Et postquam cutis meæ destruxerint hoc, (ulcera sc.
& sanies, & post mortem vermes) etiam ex carne meâ vi-
debo DEUM, quem ego videbo mihi, & oculi mei viderunt*
(rectius forte illud quidem per futurum: *oculi mei vide-
bunt*) & non alius: Græca versio; quæ pro LXX. hodiè
venditur, ab Ebræi textus sensib. multum recedit, fa-
ctumque indè sine dubio est, quòd pauci ex Græcis Pa-
tribus illa de resurrectione à mortuis acceperint, sed
plerique de corporis, ulceribus laceri, restitutione in-
integrum, meliori què adeò valetudine, explicarint.
Cyrillus tamen, loco semel iterum què suprâ allegato, i.
e. catechesi *Φωνηζομένων* XIII. de resurrectionis fide, à
Jobo creditâ, intelligit. E Latinis Hieronymus, Ebræi
Idiomatis, si quisquam eò tempore alius, peritissimus,
Epst. 61. ad Pammach. de errorib. Joannis Hierosoly-
mitani: *Quid hâc prophetiâ, inquit, manifestius? Nullus
eam apertè post Christum, quàm iste antè Christum, de resur-
rectione loquitur. Quæ sententia fortè etiam sanctissi-
mum doctissimum què Patrem commovit, uti aliquan-
tò liberiùs verteret, quàm fons aut ipsa SPIRITUS lin-
gua pateretur. In Novo Testamento quæ in hanc rem
visere dicta aut testimonia est, adeò clara sunt, ut ipsis
solis radiis scripta esse videantur. Exponuntur ibi eti-
am*

multæ Resurrectionis circumstantiæ, conditionesque ac qualitates resuscitatorum corporum indicantur. Consulatur, quam antè memorabamus, habita DOMINI cum Sadducæis disputatio, adeanturque loci Joh. V, 2P. VI, 38. & 40. XI, 24. Luc. XIV, 14. Act. XVII, 18. XXIII, 6. XXIV. 15. Philipp. III, 21. I. Thes. IV, 14. II. Timoth. II, 18. In I. ad Corinth. XV. hoc amplius agit Apostolus, ut certis invictisque *mysterium* argumentis demonstret, nostramque inter alia Christianorum seu fidelium resurrectionem, cum SERVATORIS in vitam introitu ac resuscitatione conjungat, sive ex ista potius illam derivet. v. 13. *Si mortui non suscitantur, Christus quoque non est suscitatus.* It. v. 20. *Nunc autem Christus suscitatus est ex mortuis. & primitiæ eorum, qui obdormiverunt, factus.* Enimverò capitis & membrorum conjunctio & mira est conformitas. Igitur tueri vitam hæc non poterunt, si illud perpetuæ mancipatum morti est; aut non manebunt etiam in sepulchris ista, si illud à mortuis resurrexit. *Si credimus* (est in I. Thes. IV, 14.) *JESUM mortuum esse, & resurrexisse, ita etiam Deus eos, qui obdormiverunt in JESU, adducet cum eo.* Pulchrè appositèq; Augustinus: *Quia resurrexit caput vestrum, hoc sperate membra, quod credidistis in capite. Proverbium est antiquum & verum: Ubi caput, ibi & cetera membra.* Resurgent itaque corpora nostra, & eadem quidem numero, quæ ceciderant: Quòd si etiam his alia substituerentur, aut quæ fuerant antè, tota in Spiritus dein mutarentur, (uti

Fana-

193

Fanaticorum, quos supra bonam partem recensuimus, habet sententia) non propria dicenda sanè resurrectio, sed *μεπιψύχωσις* potius quædam foret; manifestissimèq; implicaret; Resurrectionem carnis asserere, & tamen ejusdem numero carnis restitutionem negatum ire. Recte Joan. Damascenus lib. IV. orth. fid. cap. 28. *Αὐτὸ τὸ σῶμα τὸ φθιρόμενον καὶ ἀγλυόμενον, αὐτὸ ἀναστήσεται ἄφθαρτον.* Idem Corpus, quod corrumpitur & dissolvitur, idem resurget incorruptibile. Ecce quàm denuo hic etiam membris suis præjerit **CAPUT CHRISTUS!** Sanè enim idem illud, quod in cruce pependerat corpus, quod fossum clavis, insignitumque non uno vulnere erat, de tumulo retulit, uti viam aperiret, quâ & nos *his ipsis* corporibus nostris erumperemus olim, ac in æternum vitam, ejus secuti vestigia, penetraremus. Cæterùm rem ulterius deducere vetat chartæ angustia. Hodie **RESURGENTIS**, nostræque resurrectionis Auctoris **CHRISTI** repetitur, celebraturque memoria. Festum est solenne, & quo nullum temerè majus est sanctiusque aliud; ut à quo salus, fides, & justificatio nostra dependeat, Rom. IV, 25. Nostrarum itaque partium, **CIVES ACADEMICI**, fuerit, ritè decenterque obire. *Festum celebremus* (est in I. ad Cor. V, 8.) *non in fermento veteri, nec in fermento malitiæ & versutia, sed in panibus fermento carentibus, h. e. sinceritate & fide.* Nimirum vult Apostolus verè à nobis, qui Christiani ut perhibemur, ita esse debemus, præstari, quod in Paschæ ceremoniis per umbram

B

&

& figuram indicabatur: Ut, sicut illis, a mactato agno, nefas erat, ullum fermentum domi habere, quo etiam, novo quodam vitæ genere, totos septem dies abstinebant; ita nos hodiè CHRISTI sacrificii, semel peracti, participes redditi, totam vitam in justitiâ & integritate consumamus. Id autem fieri minimè potest, si fermentum domi nostræ retineatur. Quod retineri ceteroqui diversimodè, & abs variis sivevit; etiam ab iis nonnunquam, quos expurgare omnium maximè oporteat. Repertus nuper vel ex ipso Ecclesiastarum est numero (proh nefas!) qui quantum adhuc fermenti non adeò domi suæ, quàm in ipso pectoris meditullio foveret, eo præcipuè ostendit, quòd in Magistratum irreverentissimè inveheretur, eundemque acerbissimè proscinderet, non inter privatos certè parietes (quod suo quidem relictum fuisset loco) sed in publico Ecclesiæ cætu, dieque maximè solenni, quo tractare omnia alia decuerat. Causa invectivarum ex re nauci ac nihili, indeq; arrepta est, quòd in paucitatem, durante Rectoratu nostro, morientium festivè alicubi lusissemus: Sanè enim lusum & jocum merum, nilque omninò ferii esse, ipsimet Programmate, quod arroditur, monemus. *Qui prætereanec vulgo factus, sed sparsus saltem inter sapientes, eruditos, rerumque gnaros.* Latinè enim scripsimus. Quæ profectò & ipsa grandis lusui, & vel una suffectura, excusatio. Cum Laicis enim ac rudibus eâ ratione joculari, nunquam nobis quidem sessura sit sententia. Mirari itaque subit, vel inter doctos reperisse nos tam graves, imò tam stolidos joci Aristarchos. Omnium autè maximè mirari subit, illud nuperum, DEUS NOVIT, nostrū, ne quidem fuisse vel animis tranquillandis, vel interpretationi maligniori averruncandæ. Per quæ ceteroqui verba, nescimus, cui non Barbaro evelleretur tandè omnis omninò suspi-

195
suspicio. Ergo, quum hac ratione necdū quicquam, vel apud
sapientes, profecerimus, denuò, quàm in lusu animus noster
non malus, omnium autem minimè alienarum mortium vel
cupidus, vel exindè lucrandi (absit ea abs moribus nostris
spurcicies) studiosus fuerit, in id denuò, inquam, ipsum Cœli
Terrarumque Moderatorem, quin cordium renumque cu-
ratissimum perscrutatorem DEUM, testem in vocamus. Tam
magno nobis constitit, etiã inter eruditos cum Morte jocos
esse. Tantisq; obtestationibus (quis unquam credidisset) ex-
pianda illa culpa erat. Et jam quidem existimaverimus suspi-
cione penitus liberatos esse. Sed quid jam Censore Jacobæo,
DEus bone! quàm immiti, faciendum? Queri ac dolere fas est,
qui tanto ceteros conamine, uti in *azymis* reperiantur, docet,
eummetipsum totum in *fermento* jacere; quod cum expurga-
re fortè nec velit nec possit. *culicum percolator, devoratorq; came-
lorum*, homo *δοκίμοσφ*, sed *ἀπιτ*, & pertenuem solidioris
eruditionis, majorem ruditatis atque inscitix laudem ha-
bens; per nos licet retineat, regaturque usq; usq; privatis af-
fectibus, fibulamque malitix, quantam unquam velit, laxet
(dispereamus, si ex alio, quàm ex isto fermento convicia pro-
manârint) Nos hominem, qui non temerè morum suorum
desiturus sit, & DEI, & dextrè sineque animi perturbatione
sentientium iudicio committimus, visuri tamen intereà, uti
publicè nobis illatam tam atrocem injuriam debitâ ratione
vindicemus; nec ullâ ratione commissuri, uti, quæ cum ho-
nore *Sceptra Academia* capeffivimus, in honoratè abs nobis vel
tractentur, vel deponantur. Quanquam per jocum, quem a-
nimo, quo toties diximus, edidimus, nimium quantum deli-
batum florem eorundem fuisse, ipso *Catone* rigorosior Censor,
impudentissimo, inter alia, ore, quod omnium maximè au-
ditu horribile erat, ediffertabat. Qui utinam non animi
istâ perversitate, aut infantili, quin ridiculâ illâ, sapenu-
merò

merò etiam periculosâ docendi ratione, ter magè sacrum
divinumque, quod gerit, officium, defædaret, tum recto sic
satis talo res quidem ipsius starent, haberetque prolixam gra-
tulandi ille sibi materiem. Fecit fermenti abs quovis morta-
lium expurgandi occasio: Fecit animo ac pectore erumpens
justissima indignatio: Fecit officii publici ac Magistratus de-
fensitanda abs nobis auctoritas, uti hæctenus abs proposito,
quanquam invitò oppidò, digrederemur, labemque quæ om-
nium maxima per *Concionatorem* (aut fortè per æquè do-
ctum strenuè conviciari matutinum Collegam) adspersa no-
bis in publico Ecclesiæ conventu fuerat, hæc hodiè saltem ra-
tione, dum validiore fieri aliâ possit, non minus publicè elu-
eremus. Redimus nunc ad Institutum, denuòque monemus,
neminem ritè *Pascha* debirèque celebraturum, nisi fermentum
domo suâ exesse jubeat; id est, sanctimonix, pietati, mo-
rumque innocentix, quantum possit unquam, operetur,
contraque impurum ac damnabile omne longè jubeat fa-
cessere. Hæc igitur duo abs nobis utique requiruntur hoc ma-
ximè festivo tempore, ejusdemque occasione, totâ vitâ: U-
num ut omnem impietatem abnegemus, omnem nequitix &
malitix turpitudinem rejiciamus; alterum, ut veritatem do-
ctrinæ sectemur, & Redemptoris nostri, in veritate & sinceritate
ambulantis, vestigia proni adoremus, & sine ullâ tergi-
versatione sequamur. Qui quidem ipse *mortuus & sepulchro*
conditus est, secundum Scripturas; verùm tertiâ die in vitam
revocatus, *morti deinceps non est obnoxius: ita & nos per baptismum*
sepulti sumus cum Christo in mortem, ut, veluti is à morte excitatus est
per gloriam Patris, pariter ipsi etiam à somno seu veterno, imò à
morte vitiorum experrecti, in novitate vitæ ambulemus. Rom.
VI. Neque enim certè resurget in nobis novus homo, nisi ve-
tus moriatur; non prodibit Spiritus novitas, nisi mortua sepe-
liatur priùs carnis vetustas. FELIX igitur, qui partem habet in
RESURRECTIONE PRIMA; in eum MORS SECUNDA ni-
hil sibi arrogatura est imperii.

P.P. Sub Sigillo Rectoratus, ipsa PASCHATOS Feria 1. h. e. xxv.
Mart. Anno recuperatæ gratiæ clæ Ibc LXV.

suspicio. Ergo, quum hac ratione necdū quā
sapientes, profecerimus, denuò, quàm in l
non malus, omnium autem minimè aliena
cupidus, vel exindè lucrandi (absit ea ab
spurcicies) studiosus fuerit, in id denuò, in
Terrarumque Moderatorem, quin cordiu
ratissimum perscrutatorem DEUM, testem
magno nobis constitit, etiā inter eruditos
esse. Tantisq; obtestationibus (quis unqua
pianda illa culpa erat. Et jam quidem exist
cione penitus liberatos esse. Sed quid jam
DEus bone! quàm immiti, faciendum? Que
qui tanto ceteros conamine, uti in *azymis* r
eummetipsum totum in *fermento* jacere; qu
re fortè nec velit nec possit *culicum percolat
lorum*, homo *δοκνησίος* Ⓞ, sed *ἀκρις* Ⓞ, & per
eruditionis, majorem ruditatis atque in
bens; per nos licet retineat, regaturque us
fectibus, fibulamque malitiæ, quantam u
(dispereamus, si ex alio, quàm ex isto ferm
manârint) Nos hominem, qui non temer
desiturus sit, & DEI, & dextrè sineque an
sentientium iudicio committimus, visuri
publicè nobis illatam tam atrocem injuri
vindicemus; nec ullâ ratione commissuri
nore *Sceptra Academia* capeffivimus, in hon
tractentur, vel deponantur. Quanquam p
nimo, quo toties diximus, edidimus, nimi
batumflore eorundem fuisse, ipso *Catone*
impudentissimo, inter alia, ore, quod om
ditu horribile erat, edisertabat. Qui
istâ perversitate, aut infanili, quin ridic

the scale towards document

195
il apud
noster
um vel
nostris
n Cœli
ue cu-
s. Tam
ocatos.
(et) ex-
s suspi-
cobæo,
fasest,
docet,
purga-
q; came-
idioris
em ha-
atis af-
t, laxet
ia pro-
uorum
atione
reà, uti
atione
am ho-
obis vel
uem a-
m deli-
Censor,
mè au-
animi
epenu-
merò